

INDOLES ANIMI: CORPORIS CULTUS: CIBI, CONVIVIA;  
SUPELLEX: RELIGIO, & SUPER-  
STITIONES.

**S**IC hostes accipiunt: at domi colunt pacem, rixasque diligenter cavent, nisi quas ebrietatis impotentia excitavit. Fortunati, si nunquam illis hanc pestem Europa importaffet! Irasci ne norunt quidem, ac vehementer initio mirabantur, cum inverherentur Patres in vitia pro concione, eosque furere existimabant, qui pacatos inter auditores, & amicos, tanta contentione se jačtarent. Liberalitatis & munificientiae famam aucupantur: sua largiuntur ultiro; ablata vix repetunt: nec fures aliter, quam rifu & fannis ulciscuntur. Si quem, oborta similitate nefarie aliquid moliri suspicantur, non minis deterrent hominem, sed donis. Ex eodem concordiae studio fit ut assentiantur ultiro, quidquid doceas; nihil tamen fecius tenent mordicus insitam opinionem aut superstitionem: eoque difficilius erudiuntur. Quid enim agas cum annuentibus verbo & concedentibus omnia; re nihil præstantibus? Miserorum egestatem benignè sublevant; viduarum ac senum sustentant orbitatem, nisi cum senio ætas vieta marcat, vel morbus gravior incidit: tunc enim abrumpere infeliciem vitam satius arbitrantur, quam alere ac producere. Quæcumque calamitas ingruat, nunquam se dimoveri de animi tranquillitate patiuntur, qua felicitatem potissimum